CATALOGVS
OMNIVM SCIENTIARVM
A. R. P. M.

Iohan. Baptiſta Irriguo Florent. Regente Sancti Spiritus de Florentia editus.

DOMINVS MIHI ADIVTOR



Florentiæ, Apud Franciſcum Toſium. M D X CI.
Cum Licentia Superiorum.

SERENISSIMO

FERDINANDO MED.

MAGNO ETHRVRIAE
DVCI. S.P.D.

F. IOHAN. BAPT. IRRIGVVS
Flor. Auguſtinianus Eremita.

SVMMVS rerum omniũ conditor Deus Opt. Max. Inclyte FERDINANDE, hominem rationis compotem eſſe voluit, diuinum humano corpori mentis munus adiungens, vt inter ſubſtantias, quę ſenſibus percipiuntur, & quæ intellectu comprehenduntur, per vtriuſq; naturæ ſpiritualis.ſ. & corporeæ, vnionem, quæ in ipſo reperitur, medium obtineret. Nam mundum Deus ita produxit, vt rerum alię ſempiternæ ſint, aliæ vero viciſſitudini temporum ſubijciuntur. Humanum autem genus, inter vtraſq;

has conſtitutum velut inter duo extrema partim quidem cum perpetuis, partim vero cum corruptioni obnoxijs rebus conuenit. Quamobrem, ſicut homo ex gemina compoſitus eſt natura, ita duplex in eo cupiens inuenitur animæ virtus, voluntas, & appetitus, duplex item rerum ſimilitudines cognitas, retinendi facultas, memoria, & reminiſcentia: duplex adhuc cognoſcendi poteſtas, intellectus & ſenſus; quarum virium ope, ſuarum ſemper actionum quæ non fiunt ſine cognitione, finem proſpicit, & intuetur. Vnde omnia illius acta, vel ad animum ſpectant, uel ad corpus, ad quod, poriſticæ artes omnes & mechanicæ pertinere videntur. Ad animum autem referuntur, ſcientiæ omnes, & liberales ab ipſis artes deductæ: quas breuiter recenſere, tuęq; celſitudini cui plurimum tanquam ſubditus debeo earum dicare enumerationem decreui. Hos itaq; mearum lucubrationum fructus, ſiqui ſint tibi dicandos cenſui, vt cognoſci poſſit ab õnibus, nunq̃d oleũ, & operã tẽpore ſtudiorũ amiſerim. VALE.

De

DE GRAMMATICA.

GRammatica, recte loquendi, legendi, & ſcribendi modũ tradit, & regulas. Eius partes ſunt; orthographia, quæ literas, & ipſarum accidentia, & puncta conſyderat. Proſodia, ſyllabas, & quę ad eas pertinent, contemplatur. Ethymologia dictionum adnotat ſignificata, & reliquas proprietates. Syntaxis, orationis partes, recte diſponere docet, quo barbaries & ſolœciſmus, in elocutione vitentur. Figuræ, dictionum propriam pronuntiationem metri, vel ornatus cauſa mutant, per ablationem, appoſitionem: vel tranſpoſitionem literarum ſeu ſyllabarum, quæ fieri ſolent, vel initio vocabulorum ſeu in medio ſiue in fine. Tropi, vel varietatem loquendi oſtendunt, quæ ſumi ſolet, a dictionibus deriuatis, a circumlocutione a ſynonimia, a negatione contrarij: vel venuſtatem indicant elocutionis, quæ fit per epitheta, metaphoras, articulos, antitheſin, epitrocaſmon, irmon. Sententiæ, ſermonis flores, modo quodam exiſtunt, vt parabolæ, ſales, prouerbia, facetiæ, ironię, apophthegmata, ænigmata, & ſim. Ab hac diſciplina, originem ducunt Hiſtoria, quę diligenter, rerum geſtarum acta, in ſpecto temporum ordine, dummodo fuerit ſcitu digna, deſcribit. Polylalia, multiplex eſt loquendi genus, cum iuxta diuerſum, multarum nationum ſermonem, quo vtuntur interpretes: tum etiam, ſecundum, varium impoſitorum arbitrium, quod locutionis genus, Hetruſca lingua Gergo vocatur, Polygraphia diuerſitatem ſcribendi, ex varijs elementorum figuris oſtendit, ſecundun idiomatum conſuetudinem, & iuxta variam etiam latenter ſcribentiũ inuentionem, quę materno eloquio Cifra nuncupatur. Steganographia perſpicax eſt excogitatio, modos indicãs quibus occulte aliquid abſentibus haud temere ſcribi poſſit.

DE POETICA.

POetica, fabuloſam ſictamq; narrationem, vt proſit, atq; delectet, metro conſcribere docet. Eius partes ſunt, syllabę, quarum tempora, earundem longitudinem indicant, vel breuitatem. Pedes, carminũ ſunt menſurę: quorum arſis, tot prolationis tempora, quot theſis, ſeu plura ſiue pauciora, complectitur. Simplices autem, biſyllabi, vel triſyllabi ſunt: Heteroplici vero, quatuor, ſeu quinque ſyllabas continent. Carmina, quorum ratio in metris poſitis alternatim, conſiſtit. Sumpſerunt autem, vel ab authoribus nomen, vt archilochia, ſaphica, aut a ſcanſione, & metris, vt ſenaria, exametra, ſeu a pedum complemento, vel imperfectione, ut cathalectica, a cathalecta, aut ab effectu, vt ælegi, ode uel a pedibus, vt ſpondaica, iambica, & ſim. Rithmus, apta quædam verborum concinnitas eſt, compoſitioni carminum conſona. Poemata varia ſunt poetarũ figmenta, veroſimiles narrationes continẽtia, quibus etiã (ſi recte per allegoriam intelligantur) veritas correſpondet. Deducũtur, ab hac facultate, Epopœia, quę rationes, & modos cõponendo rũ, carminũ, tradit. Lyrodia quaſlib et cõplectitur ſpecies camænarum, quæ ad fides cani conſuerunt. Heroica, illuſtrium virorum geſta, varias inſerendo fictiones exametro carmine refert, Tragica. Heroũ inſignes actiones, lugubri repreſẽtat euẽtu. Comica priuatorũ hominũ acta, hilari tandẽ drãmate narrat, Hiſtrionica, geſta, mores, loquẽdiq; modos, varijs ſtatibus hominũ congruẽtes effingit. Scurrilis procaci dicacitate, riſum audiẽtibus mouet. Mimica, laſciua eſt, cũdecenti geſticulatione ſermonis cuiuſlibet imitatio qua paraſſiti ſatyrica quadã garrulitate ac maledicẽtia regũ imperatorũ & reliquorũ, optimatũ aulis aſſentãtes, victum ſibi obſcœna loquacitate, & circulatorijs fraudibus quærunt.

RE-

DE RETHORICA.

Rethorica, ciuilium actionum qualitates animaduertens, animũ audientis in ſuam pro uiribus flectit ſententiã. Vtitur autẽ, qualibet inueſtigatione propoſita, genere dicẽdi demõſtratiuo, vel deliberatiuo, vel iudiciali. Eius partes ſunt, inuẽtio quæ argumẽtorũ, enthymematũ.ſ.& exẽplorũ eſt ex cogitatio, quibus fides in mentibus hominũ gigni poſſit. Conſtat autem exordio, narratione, confutatione, partitione, declaratione, cõfirmatione, & per oratione. Diſpoſitio rerũ ſeriẽ, ſeruata cauſarum conſtitutione declarat. Elocutio, uarijs coloribus ſermonis floſculos legẽs, vt tediũ, ab auditoribus auferat, elegãti amplificationis varietate delectat. Memoria vis quędã eſt mentis dicenda ordine ſeruans. Pronunciatio eſt congrua vocis, uultus, geſtus, & habitus moderatio, rebus cum venuſtate conueniens. Argumenta, probationes ſunt rei dubię fidem facientes. Sumuntur autẽ, plerunque a circunſtãtijs, quę conſequẽtes ſunt cuiuſcunq; operationis conditiones, procedẽtes, a rei natura, a perſonarũ ſtatu, a cauſis actionũ, a locorum opportunitate, a temporũ aptitudine, a modorum exigentia, a ſociorum auxilijs, a negociorum collatione, & ſim. Fluunt ab hac ſuadendi peritia: Memoratiua; quę ex pluribus imaginibus locis, & carachteribus, & non nunquam ex noxijs pharmacis, edocet quomodo: retineri memoria multa queant. Declamatoria pronunciationis modũ oſtendit. Rethoriſmus apto quodã vocis ſono: & totius corporis motu diuerſos animi affectus exprimit. Oratoria cunctis rebus iſtis ſuppoſitis forenſes cauſas agit, quarum genera quatuor ſunt honeſtũ turpe dubium, & humile. Vtitur autem digreſſione nec non tranſlatione, & reiectione criminum in aduerſarios.

DE LOGICA.

LOgica, dirigit actus mentis, vt veritatem, ob ſcien tiarum acquiſitionem cognoſcat. Eius partes ſunt, ſimplicium terminorum, quo ad ſua ſignificata intentionalia, ſeu realia comprehenſio. Propoſitiones quæ ex terminis, nunc quidem complexis, nunc vero ſimplicibus connectuntur. Argumenta, ſyllogiſmus videlicet, & inductio quorũ probationibus rei dubiæ notitia, perfecte acquiritur. Definitio eſt oratio, rei declarãs eſſentiam per aſſignationem proprij generis, & ſpecificæ differentiæ. Diuiſio, vnius eſt rei, in plures partes inter ſe differentes, & quandoq; etiã oppoſitas diſtributio. Gignuntur a notitia differendi. Reſolutiua methodus, quę docet cathegoricos, vel hypotheticos ſylogiſmos componere, Demonſtratiua vero, demonſtrationem conſtruere, ex propoſitionibus, veris, primis, immediatis cauſiſq; concluſionis neceſſariis edocet, per quam haberi cuiuſlibet rei propria, & perfecta ſcientia poteſt. Dialectica diligens eſt ratio, ad vtranque contradictionis partem probabiliter, quolibet problemate propoſito, differendi. Vtitur autem quibuſdam argumentorum locis, qui ſumuntur à cauſis, a definitionibus, a diuiſionibus, a proprietatibus, ab effectibus, a ſimilitudinibus, ab oppoſitis, a cõſequẽtibus, a partiũ reſolutione, & eiuſcemodi alijs. Sophiſtica apparenter ratiocinãdo, per amphibologiã, æquiuocationem, diuerſam obliquorũ acceptionẽ, cauillationẽ & ſuppoſitionis varietatẽ & ſim[illegible] diſputãtes deludit. Huc referri poteſt, ars illa (ſi tamen ars dicẽda eſt) a Raimũdo L[illegible] excogitata, quã magnã vocat, & illa etiã quam paruam artem nuncupari voluit, quibus ingenij potius pompa oſtendi poteſt, quam eruditionis, peritia.

Arith-

DE ARITHMETICA.

ARithmetica, numerorum proprietates enumeran do rimatur. Eius partes ſunt vnitas, principiũ omnium numerorum, qui ſiue pares ſeu impares pariter, vel impariter ſint. primi, vel ſecundi, compoſiti vel incompoſiti, collectiones tamen ſunt, ex vnitatibus aggregatæ. Aequalitas, eadem eſt, diuerſarum quantitatũ menſura. Inæqualitas, vero, per defectum vel exceſſum diuerſa. Proportio relatarũ ad inuicem quantitatũ, varia eſt habitudo: quę ſi ab exceſſu maioris inequalitatis proueniat, multiplex vocatur vt dupla tripla &c. Vel ſuper particularis vt ſexquialtera. ſexquitertia, ſeu ſuperpartiens, vt ſuperbipartiens, ſupertripartiens, ſiue multiplex ſuperparticularis vt dupla ſexquialtera, dupla ſexquitertia, aut multiplex ſuper partiens vt dupla ſuperbipartiens, dupla ſupertripartiens, & ita deinceps, iuxta numerorũ addittionẽ: quibus ſi ſub præpoſitionem addideris, minoris inæqualitatis proportiones cognoſces. Proportionalitas, eſt ſimilitudo proportionum quę cognoſcitur per diuiſionẽ numerorũ in partes aliquotas, ſeu per arithmeticam, harmonicã, vel geometricam medietatem, ex quibus lineares, angulares ſphærici, & ſolidi numeri cum ſuis terminis conſtant Procedunt ab hac numerorum obſeruatione Calculatoria, quæ infinitum propemodum computat, breuiſſimo quodam periodo, numerorum acceruum. Supputatoria ex ſubtractionibus additionibus multiplicationibus partitionibus & ſummis cõputationum proſpicit rationes. Luſoria ex varijs numerorum impoſitionibus, diuerſos ludos inſtituit, Huc reduces algoriſmum algeburah & Aleatoriam, & ludicras omnes inuentiones, cuiuſmodi ſunt teſſerarum, pilę, taxillorum, & ſim.

DE MVSICA.

MVſica, numerorum harmoniam, per varium vocum, & ſonorum interuallum, auditu & ratione perpendit. Eius partes ſunt, commata. hoc eſt tonorum per ſchiſmata deciſiones. Dieſis & apotome prima ſunt vocis, vel ſoni perfecte audibilis ſpacia, quæ tonum conſtituunt, qui ex ſex qui octaua oritur proportione, ſiue ex nonupla. Conſonantia diſſimiliū eſt inter ſe vocum concordia, ſiue ratio numerorū in acuto, & graui cōſiſtens, quæ in enharmonico genere, ex cōmateis progreditur. In diatonico vero ex tonis & ſemitonijs, qui aliquotiens ſumpti, geminā triten, diateſſaron, diapente duplicem ecten, ac diapaſon conſtituunt, quę licet ex dupla ꝓportione procedat, ex quinque tamen tonis, & duobus ſemitonijs conſtituitur. In chromatico autē ex vtriſq; cōpoſitio fit. Alia vero omnia ab his interualla diuerſa diſſonantię ſunt. Modi præcipui muſices, quibus animi cōmouentur affectus, ſunt lydius hilaris Aeolius ſiue mixolydius lugubris Phrygius furēs Dorius moderatus Hyaſtius varius. Ab his quinque alij oriuntur. Videlicet Hypolydius Hypæolius Hypophrygius Hypodorius, Hyphiaſtius, qui diſtinctionē, penes celeritatem & tarditatē grauitatē, acumen atq; diſtantiam, motū ac tempus aſſumunt. Deriuantur a Muſica cantatoria, quę in cantum planum (ita enim vocant) diuiditur & emmeles ideſt concentum. Sonatoria, ad quam omnium inſtrumentorū, quæ canora ſunt, reducendus eſt vſus, & opus, vt Organalis & organaria, tibialis tibiaria tubalis tubaria tibicinaria, fidialis fidiaria, lyralis lyrica lutinalis lutinaria & rel. Tripudiaria congruenti ad ſoni modulationem decentique corporis motu laſciua ſaltatio eſt qua choreas ducentes iuncti puellis pueri debaccantur.

DE GEOMETRIA.

GEometria magnitudinũ figuras mẽſurãdo depre hẽdit Eius partes ſunt puncta, quę indiuiſibiles ſunt termini linearũ, lõgitudinẽ tantũ habẽtiũ, quarũ cõtactus angulos: flexuoſæ autẽ curuitates. ſpiras conſtituũt. Superficies, lõgitudine & latitudine mẽſurãtur. Corpora lõgitudinis, latitudinis & craſſitudinis dimẽſionẽ ſuſcipiunt, & his cõtraria, ſi ad aliud confe rãtur. Figurę tot angulis, quot lateribus multiplicatis conſtãt, quo ad circulus conſtituatur· qui ex vna tãtũ linea in ſe, ſupra centrũ veruntamen ducta procedit, Menſura æqua eſt terminorũ quãtitatis cuiuſlibet per ſcrutatio, quæ podiſmo, põdere, ſeu capacitate digno. ſcitur, numerorũ etiã ſemper adhibita ratione. Oriun tur ab hac menſurandi peritia, Architechtonica, quæ cuiuſcunque machinæ molẽ conſiderans, exemplaria, & modos inſtituit, quibus vrbiũ menia, arces. ante muralia, turres aggeres. templa, domus, ædes, molendi na pontes nauigia, vehicula, & his ſimilia, quibus res hominũ tueri ſolent, rectè conſtrui poſſint. Stereome tria: ſolidorum corporũ eſt menſura, quæ pyramides: cubos chylindros, angulares, ſpirales teretes, & ſphærarũ extremitates, metitur: Ponderaria ex grauitatis & leuitatis menſura, quę nam elementi qualitas in cõ poſita re prædominetur cognoſcit, ex qua cõmixtionũ ratio in antidotis exhibendis eſt animaduertẽda. Planimetria amplitudinem ſeu ambitum cuiuſuis ſpatij, arec ſiue agri metitur. Altimetria altitudinem, & pro funditatẽ eminentiũ rerũ, vel demiſſarum menſurat. Tandem vero cũcta quo vis pacto dimenſionis ratio nem habentia referri ad hanc notitiam debent. Sed & omnia inſtrumenta quibus magnitudinum extenſio percipitur, rectitudo obliquitas ſiue etiam curuitas aut pondus huc reducuntur vt circini & ſim.

DE OPTICA.

OPtica, quomodo rerum ſpecies conſpicuæ ſint, ex viſualibus lineis directis reflexis, ſeu refractis, oſtendit. Eius partes ſunt. lux colores diaphanũ & his contraria. Proueniunt ab hac aſpectus conſideratione Specularia qua rerũ imagines, ĩdiaphano corpore terminato ſpiritualiter per medium receptæ, ad oculũ aſpiciẽtis uarijs modis reflectũtur, Ocularia per interminatũ ſolidumq; diaphanum, rerum ſimilitudines perſpicacius oculo repreſentat: Iaculatoria iaciẽdi edocet modũ, oculorũ ita aciem dirigens, ut ſcopus attingi facile poſſit. Pictura res viſas, & ſi corporeæ & ſolidæ ſint, in ſuperficie tamẽ lineamẽtis colorum varijs pingit. Coloralis duriſſimos mineraiũ lapides, q̃n & metalla ipſa aurum. ſ. & argentum, vt picturę deſeruiant, ad liquorẽ reducit. Segmentaria ex diuerſis lignorũ ſegminibus, emblemata facit, quæ ſi ex vitreatis lapillis cõſtent, muſeaca nuncupantur, ſi uero ex lapidum fragmentis uel fruſtulis taxillatoria. Sculptilis ſtatuas hoc eſt prominentes rerum imagines vel excauatas ligno, vel ebore, ſeu oſſe ſiue ex marmore fingit. quod ſi gemmę fuerint earum materia Criptica tunc artificium tale vocatur. Plaſtica ex diuerſarum materierum glæbis, effigies, & ſimulacra format. Fuſilis vero ex metallis, ſeu ad liquorem quouiſmodo reducibilibus rebus. idola facit. Excuſſoria typos figurarum æqualiter prominentes facit, quibus imprimi quęlibet poſſint. Impreſſoria excuſſas res vel pręlo exprimit vt in libris, uel malleis quemadmodum in nummis, ſeu in numiſmatibus euenit. Pingendi etiã artificium illud quod acu fieri ſcite admodum ac eleganter ſolet ad hanc viſus obſeruationem referẽdum eſt quod vulgo ricamo vocatur Vermiculatoria quoque hũc ſpectat.

De

DE ASTROLOGIA.

ASTrologia, ſyderum curſus, aſtrorum motus, & cœleſtium ſphærarum partitiones conſiderat. Eius partes ſunt Poli ſupra quos cum conſiſtant cuncti voluutur celorum orbes, ſtellas omnes cuiuſcunq; ſint magnitudinis, perenni motus deferentes. Duodecim Zodiaci ſigna. & reliquæ ſyderum imagines ſubque planetarum aſtra, per ſuos excētricos orbes, & epiciclos, nunc quidem directi, aliquando vero ſtationarij, interdum autem retrogradi vertuntur. Circuli in quibuslibet cælorum globis, per imaginationē adnotati, gradus minuta ſecundæ & tertiæ & ſic per numerorum ordinē, quibus diuiditur intentionaliter totum cœlum. Planetarum coitus, & ſextiles, quadratos trinos, & oppoſitos aſpectus, ortus etiā & occaſus eorundem matutinos & veſpertinos & ſim. Ab hac ſyderū conſideratione ortum ſumpſit Aſtronomia, aſtrorum legem hoc eſt ſyderū in cunctis ſublunaribus oſtendēs influxum qui fatum dici aliquo pacto poteſt. Vocatur etiam hec inanis ſyderum obſeruatio iudiciaria ſeu diuinatoria, quod futurorum iudicare ſoleat diuinādo euentū a qua quamplurimæ, quòd ſciā diuinationum ſpecies oriuntur, quas ſimplici tantū nomenclatura, pro ut apud varios reperi authores enumerabo ſunt autem: Geomantia Hydromantia, Aeromantia. Pyromantia. Speculatoria. Lecanomantia. Capnomantia Arithmantia. Sortilegium. Sciomantia, Onomantia. Chiromātia. Metopoſcopia. Phyſionomia, pſichiomantia. Onirocritica. Catoptromantia Horoſcopia. genethlia, pullaris: auſpicium, augurium oſcinatoria, aruſpicina, omen, necyomantia ſeu necromantia, & vaticinia, quibus fatidico quodam homines furore correpti, futura prædicunt.

DE COSMOGRAPHIA.

COſmographia, vniuerſi totius ſitum, inferiores terræ partes ſuperioribus cœli aptando deſcribit. Eius partes ſunt, æquator meridionalis orizon duo tropici, quinque zonæ, climata, anticlimata paralleli, ventorum vires ac termini, Vtitur autẽ hęc facultas quibuſdã inſtrumentis, comunibus alijs quoqꝫ mathematicis artibus, vt ſphæra quadrãte, tympanis, pyxide, anulis ſpericis aſtrolabio, tabulis, horologijs, & miro etiam magnetis artificio, quo dextrum in cœlo ſtatuit, & ſiniſtrum, nec non poſitionis reliquas differentias. Vocatur item hęc notitia coſmimetria, quoniã perſtadia, miliaria, ſiue leucas regiones metitur, & omnium indicat plagarum diſtantiam, quæ diſtincte cognoſcitur, ex gradibus æquatoris, quorũ initiũ hactenus ſumptum eſt, ab inſulis fortunatis & ex gradibus etiã ab eodẽ æquinoctiali, ſeu apolis diſtãtibus ex quibus cuiuſlibet loci Zenith deprehendi facile poteſt. Temporum inſuper terminos per cœleſtis motus dimenſionem conſtituit, minutorum uidelicet ſpatium, horarum æqualitatem vel inequalitatem, ſucceſſionem menſium atque menſuram, annorumque circuitus. Deſcendit a coſmimetria, Geographia quę totius orbis terrarum deſcriptionem complectitur, antiquitus quidem in tres principes partes diuiſam, quibus quarta hoc noſtro æuo America acceſſit quarum quælibet, multas ſub ſe continet oras, regiones prouintias, atque inſulas, quarum deſcriptio Chorographia vocatur, quę maria flumina amnes littora, lacus ſtagna paludes, portus, ſinus promontoria, ſcopulos montes, ualles, ſpecus vrbes gentium mores & ſimilia ſolerti indagine deſcribit, atque enarrat mappæ etiam mundi (vt aiunt) per huius ſcientiæ peritiam deſcribuntur.

Ethica

DE ETHICA.

Ethica felicitatis ſibi finē proponens, boni cū honeſtate coniūcti, aſſecutionē pollicetur, edocetq́; quomodo, vita ſit hominis recte inſtituenda. Eius partes ſunt animi affectus, vt cupiditas ira, amor, odium voluptas dolor, gaudium triſtitia audacia timor, lenitas auſteritas māſuetudo indignatio, miſericordia ſæuitia, ſpes deſperatio: ſtupor horror fides diffidentia, hilaritas moroſitas, pœnitētia impœnitētia pudor impudētia, tolerātia impatiētia, liuor charitas continētia incōtinētia. Virtutes habitus ſunt uolūtatis in medio critate cōſiſtētes & vitia quę eo grauiora exiſtūt, quo magis diſtāt a medio, vt ſuperſtitio pietas impietas, ſeueritas iuſtitia iniuſtitia: uerſutia prudētia fatuitas temeritas fortitudo ignauia inedia, temperantia libido vilitas humilitas ſuperbia, deiectio cōſtantia elatio laſciuia munditia immunditia, complacentia humanitas immanitas indulgentia clementia crudelitas ſilentium taciturnitas loquacitas, ſcurrilitas vrbanitas ruſticitas feſtinatio oportunitas tarditas adulatio, comēdatio detractio ab his alij habitus deducūturquorū alterū extremū nomē quod ſciā hactenus nactū nō eſt vt ebrietas ſobrietas luxuria caſtitas; perſeuerantia pertinacia obedientia inobediētia, modeſtia immodeſtia, honeſtas inhoneſtas benignitas malignitas moderatio inſolentia, comitas obſcænitas nocētia innocentia, argutia ſtoliditas, dolus ſinceritas. Sunt etiam quidam mores qui bonitatem vel malitiam preſeferunt qnorū cōtraria ſunt innominata; Vt obſeruātia æmulatio, aſſentatio arrogantia iactantia curioſitas, hypocriſis diſſimulatio irritatio deriſio, conſilium proditio, illuſio reprehenſio caſtigatio ad hortatio, prouocatio admonitio conſolatio iuuamentum lęſio, veneratio defenſio, fraus. & multa eiuſcemodi alia his ſim.

Occo-

DE OECONOMIA.

OEconomia, quauis ratione coniunctarum per-
ſonarum regimen edocet, domusq; & rei fami
liaris recte adminiſtrandę modum. Eius partes ſunt
Habitus nonnulli, a quibus diuitiarum vel inopiæ vti
tilitas ſiue damnum procedit vt prouidentia ſollicitu
do ſolertia cautela munificentia liberalitas ornatus di
ligentia fidelitas amicitia, ſolitudo, & his contraria.
Actiones a quibus lucro vel iactura comertij cauſa
quis afficitur, ut his concordia obſequium iniuria, au-
xiliũ impedimentum, honor contemptus, negocium,
ociũ labor quies, fama infamia, delectatio moleſtia, tu
tela depilatio gratitudo ingratitudo irritatio admoni
tio, irriſio reprehenſio, conſilium proditio integritas
fraus, ſumptus prouentus, mutuũ redditus, fœnus con
tractus, emptio venditio, locatio cõductio libertas ſer
uitus, dominiũ captiuitas. Quamplurimæ aliæ actio
nũ & vitę conſuetudines referendæ nunc eſſent quas
cauſa breuitatis ommitto, quę commoda hominibus
afferunt, ſi recte utantur, cum animi tum corporis bo
nis, cuiuſmodi ſunt ſcientiarum, & artium notitia, ſa
nitas, pulchritudo, robur uenuſtas opes dignitates, &
ſi qua alia ſint. Initiũ ab hac domeſtica cura ſumpſit.
Aulica, quę lenonia, aſſentatoria & ſeruilis eſt opulẽ
tiſſimorum virorum obſecundatio. Caſtrenſis, exerci-
tui neceſſaria parat. Villica patrifamilias ſeruiens
ruri: prǽeſt. Educatoria infantes ſolerti quadam alit
ſedulitate, vt optime adoleſcant Pædagogia ſeruiliter
pueros inſtruit. Obſtreticaria puerperis opem prębet,
vt fœtum ęquo animo parientes edant, & quam mini
mo fieri poteſt gemitu atque dolore, cauentque cum
natos ſuſcipiunt ne deformes ſint, ac mali aliquid
ob tenellam ætatem patiantur dum lętalis huius vitę
exordium ſumunt.

Po-

DE POLITICA.

POlitica, quid æquum iniquumue ſit animo uolquens pro ciuitate regẽda leges inſtituit habitaq; perſonarum, locorum, & temporum ratione inſtituta decernit, quibus rei & vtilitati publicę conſulatur, & improborum hominum inſolentia compeſcatur, Reguntur autem imperia regna, prouinciæ, atque vrbes vel principum placitis, unde Monarchia oritur, vel Senatuſconſultis & ſic Ariſtocratia conſtituitur, vel plebis ſcitis, hinc Dimocratia fit, vel Pretorũ edictis qui ea ſanciunt, quæ ad ius publicum ſeu priuatum ſpectare videntur. Eius partes ſunt, ius naturale ius gentium & ius ciuile quibus diſtinguntur; affinitatis gradus perſonarum ſtatus, officiorum diſtributiones, bonorum poſſeſſiones, magiſtratuum & optimatuum ordines, qui faſtiſ diebus ius dicunt, ſeu qua uis ratio ne iuſtitium indicunt, bellumque, inducias, fœdera, ſiue paces, nunciorum legationes, coloniarum deductiones & vectigalium exactiones faciendas eſſe decernunt. Actiones omnes, ſiue in perſonam, ſiue in rem, ex contractu fiant, vnde ciuilium cauſarum iudicia, cognitis legitimis denunciationibus oriuntur: ſiue ex maleficio, ex quo pœnarum, vel tormentorum ex Iudicum ſententia teſtium examine, & legum conſtitutione irrogatio ſequitur. Oritur a politica ars Heraldica, quæ bene de republica pacis vel belli tempore meritos uiros heroas eſſe decernit, & ipſis priuilegia quædam, ſuaq; virtutis inſignia, ſeu ſymbola confert. hinc Doctorum, & Aequitum ordo deducitur legionũ prefectura & ſim. Aduocatoria ſuis clientibus opem ęquo, uel iniquo iure patrocinando præbet. Ars notariatus cuncta ſcribendo adnotat, quæ cuiuſcunq; iuris continent rationem.

DE PHILOSOPHIA.

PHiloſophia naturalium rerum eſſentiam propriętates, & operationes contemplatur. Eius partes ſunt, natura quam animam mūdi plato in Timeo uocauit. hebreorum uero ſapientes ſpiritum omnia connectentem, principium per ſe motus, & quietis Ariſt. Cauſæ a quibus ; ſenſibilium proueniunt effectus vt Materia quę cum ſuis accidentibus ſubiectum eſt cuiuſcunque generationis : Forma cuiuſlibet rei eſt perfectio, a qua ſuppoſitorum actus procedunt. Efficiēs cuncta de potentia educit ad actum, ſecūdum variam tamen generabilium & corruptibilium aptitudinem Finis cuius gratia omnia fiunt, optimi ſemper in ſe, rationem complectitur, his academici ideā ſiue exemplar, & inſtrumentum addiderunt, ſex ſtatuentes genęra cauſarum, a quibus proueniūt, virtutes cœlorum, elementorum qualitates mineralium commixtio, plātarum vigor, Animalium partes: Animæ vires, cum ſuis proprijs obiectis, quæ ſunt, Vegetatiua, Locomotiua, Senſitiua & Intellectiua qua homo cæteris uiuētibus præſtat. Conſiderantur etiam in hoc ſapiētiæ ſtudio, cuncta quæ ſubſtantiam rerum concomitantur ; vt exempli gratia. Quantitas quę ſubſtantię eſt menmenſura. Motus qui rei in potentia exiſtentis eſt actus. Generatio mutatio eſt de non eſſe ad eſſe: huius autem contrarium Interitus ; Augumentū præxiſtentis eſt magnitudinis per omnes aucti partes additamentum. cui decrementum opponitur, Alteratio in contrarias eſt qualitates tranſmutatio. Motus localis ſemper tendit a termino a quo, ad terminum ad quem : qui in rectum, circularem & progreſſiuum diuiditur. Locus continet locatum. Tempus vero motus eſt menſura.

Me-

DE MEDICINA.

MEdicina, vt finem ſibi ſanitatis propoſitũ adipiſcatur, cuncta quæ requiruntur, ad vitam, ſalubriter degẽdã cõſiderat, varios, medẽdi methodos & tuendę valetudinis modos oſtendens. Eius partes ſunt, humani corporis membra. Spiritus & humores, qui elementorũ qualitatibus ex quibus conſtat vnum quodq; cõpoſitum correſpondent. Morbi qui ſunt, affectiones preternaturã, vitæ lędentes operationes. Dolores læſiones ſunt ſenſu tactus perceptæ, a ſolutione continui plerunq; prouenientes. Intemperies humorum, quæ perquantitatis vel qualitatis exceſſum cuiuſcunq; ſunt ægritudinis cauſæ. Symptomata noxiæ ſunt, alterationes morbũ inſequentes, quæ diuerſas corporis partes perconſenſum lędunt. Signa morborum cauſas oſtendentia ſunt pulſus vrina, ſaliua, ſudor, nauſea fœcum retentio, & ſim. Medẽdi rationes quæ exſcopis indicantibus cognoſcuntur. Qui ſunt complexio, ętas viuendi conſuetudo, vires naturales, morbi tẽpora, criſes, aeris ambientis ſalubritas, anni conſtitutio, &c. Medicamenta, vel ſimplicia ſunt, & a plantis, mineralibus & animalibus accipiuntur, vel ex ſimplicibus alteratis commixta, vt ſyrupi. cliſteres decoctiones, diſtillationes ptiſanę vel ſucci, contuſionibus expreſſi, ſi liquores ſint, boli vero ſunt pilulæ trociſci electuaria, & cõfectiones, quæ intrinſecus remediũ afferunt, ſi recte propinentur. Extrinſecus autem apponuntur, emplaſtra linitiones fomenta epithyme, vngnenta ceromata ſuffitus & ſim. Vt autem ſanitas conſeruetur, ratio uictus eſt recte inſtituenda, vt vero ammiſſa recuperetur cõtraria contrarijs ſunt curanda. Anatome per inciſionem cuncta humani corporis cum intima tum extima membra deprehendit, atque explorat.

DE METAPHYSICA.

SVper naturalium rerum ſcientia, ſapientia dici re uera debet, cum ea præcipue contempletur, quæ maxime ſunt a ſenſibus, & ſenſibilibus, ſeparata. Dif ficillimarum enim, & reliquarum omnium rerum, que tamen ſunt manifeſtiſſima in natura, notitiã per abditiſſimas, & altiſſimas cauſas pollicetur, & cum ſit inter omnes habitus, intellectus amplior, atque prę-ſtãtior, debet cunctarũ ſcientiarũ. nõ probabiliter, quẽ admodũ dialectica, ſed demõſtratiue. probare principia: & cuiuſcũq; rei que ſit, per cauſas intrinſecas, pro pinquas, uniuerſales, & cõmunes, totales, ad æquatas neceſſarias, & his oppoſitas, eſſentiam, & proprietates oſtendere. Eius partes ſunt. Deus qui cum ſit immobilis, primus tamen eſt motor, cauſarum omniũ cau ſa, primũ ens, puriſſimus actus, nulli permixtus poten tię, cum tamen ſit omnipotens. ſimpliciſſima veritas, ſummũ bonũ, vnicũ ac ſingulare cunctarũ perfectionũ principiũ, qui cum a nullo genere contineatur cõ tinet tamen cuiuſlibet generis perfectiones, ſempiterna mens cuius voluntas, naturę legem indidit, Scientia vero, que decipi, & mutari nullatenus poteſt, cauſa rerum exiſtit, Percipi autem non poteſt ab intellectu humano ſuę diuinitatis eſſentia, niſi ipſa. deitatis virtus aſſiſtat. Intelligentiæ ſacra ſunt numina, hoc eſt cœlorum animę, & formę ſpirituales globis cœleſtibus, vt nautæ nauibus, aſſiſtentes, eoſdemq; non ſine, ſupremi numinis nutu mouentes. vt generabilia & corruptibilia, in proprios fines, ex ſuis reuolutionibus dirigant, Sol enim & homo (ut Ariſt. ait) generãt hominẽ. Cum autem id quod eſt, huius ſit facultatis ſubiectũ: ideo poſt ſubſtãtiarũ a materia & motu abſtractarũ doctrinã, materialis ſubſtãtiæ ĩquirũtur cauſę, ac tandem accidentium etiã cunctorum principia.

DE THEOSEVIA.

THeoſeuia quæ ius canonicum appellatur, cuncta quæ ad religionem, & ſacrorum ritum pertinere videntur, iuxta ſummorum Pontificum decreta inſtituit. Quamobrem melius fortaſſe ius pontificium vocaretur. Eius partes ſunt leges, & inſtituta cum ab omnibus, tum maxime, a ſacris initiatis viris ſeruanda. Diuerſi eccleſiaſticæ dignitatis gradus, quibus alijs, alij quauis ratione preferuntur. Deo dicatarum perſonarum officia, quæ ſunt ſacramentorum adminiſtrationes ad quas illi tantummodo admitti deberent, qui digni habiti ſunt pronomine Ieſu Chriſti contumeliã pati, Preces diuinarumq; laudum, & gratiarum actiones, quas diuerſis horis canonum iuſſu conſtitutis, quotidie decantare, vel pſallere ſacris altaribus ſeruientes tenentur. Feſtiuitatum ſolemnitates, & ieiunij tempora quibus negocijs ſuis, quiſque relictis, Deo per operationes a charitate prouenientes dicare ſe debet, ut ipſius templum fieri valeat. Ordinationes ceremoniarum, quæ exteriores ſunt corporis actiones, munditiam, & ornatum preſeferentes quibus mentẽ preparandam ac per deuotionem excitandam ad dei obſequium indicatur. Templorum, & ararum conſecrationes., veſtium & reliquarum rerum benedictiones, Priuilegiorum, indultorum, & diſpenſationum, & iudiciorum iuriſdictiones, Ordinum & beneficiorũ collationes præbendarum diſtributiones, Indulgentię, & abſolutiones a delictorum reatibus, uotis ſeu, quibuſcunque alijs ſatisfactionibus, vel alligationes, quæ interdictis, & ſæpe etiam, uinculo ſemper metuendæ excommunicationis ſeu quauis alia eccleſiaſtica cenſura fieri ſolent. Sacrificia, quibus immaculata, Chriſti paſſionem referens hoſtia, ſummę deitati offertur, Hęreticorũ inquiſitiones, & eorundem correptiones.

DE MAGIA.

Magia illuſio eſt malorum dęmonum tenebras impiorum virorum, & mulierum intellectui obducentium, vt ipſos ſuperſtitionibus quibuſdam, ſibi litare uota reddere ſeque adorare: ſpe alicuius rei conſequendę compellant. Eius partes ſunt faſcinatio nes quibus pernicies ſolet humanis rebus per malefi cia quædam moliri. Veneficia lethalium ſunt pharmacorum commixtiones interitum mortalibus afferentes. Præſtigia phantaſmata in imaginatiua ui mẽtis gignunt, & res aliter quam ſe habeant ſenſibus, repreſentant. Hieroglyphe imaginum eſt ab ægyptijs reperta inuentio quibus dæmones olim, uenerabantur. Cabala, ex litteris dictionum, hebrearum & numeris complicatis punctis quę in uerſis, ſacrorum myſteriorum, & omnium arcanorum notitiam pollicetur. Laotopea eſt ars qua admirāda poſſunt homines operari, naturę vires penitus excedentia Goiteuma immundorum ſpirituum per incantationes euocatio eſt, qui nefanda quælibet, iniquis hominibus ſuggerunt. Extaſis que a quibuſdam mors obſculi appellatur, mẽtis a corporeis nexibus alienatio eſt atq; exceſſus, quo rapitur homo, ad ſublimium rerum cognitionem. Phytonica, ex dæmonū ſuggeſtionibus, exitū rerū occultarū predicit Arſnotoria quarum quis velit rerū ſiue ꝑ ſōnia ſiue ꝑ interiores, dæmonū ſuaſiones, manifeſtat euentum. Eſt & quędam ſagacitas, qua aliquis latentes naturę vires & proprietates occultas cognoſcens, ingētes miroſq;, producit effectus. Alia inſuper temporum horis momentiſq; ſeruatis, ſibi conuenientes attrahere nouit influſus, vt res ex uoto ſuccedant. Theurgia edocet quomodo diuini illapſus excipi debeant.

DE THEOLOGIA.

THeologia, in philoſopborũ ſcholis, gymnaſijſq; recepta, cuncta aliarum ſcientiarum, approbat principia, & concluſiones, quæ ſibi quauis ratione in ſeruire poſſunt: reliquis omnibus, tanquam nefanda quædã reiectis atque prohibitis. Eius partes ſunt vnica & ſimplex diuinitatis eſſentia. Diſtincta veruntamen per relationes, notiones & proprietates in tres perſonas quibus proceſſiones competunt. Nam pater intelligendo ſe producit verbum, atque hunc in modum, filium ſibi per omnia gignit æqualem. Ab his duobus tanquã ab vno principio ſpiritus ſanctus producitur, & ſpiratur: vnde vtriuſque nexus dicitur, atque amor. Attributa ſummæ diuinitatis perfectiones oſtendunt, quibus immanentes cognoſcuntur totius Trinitatis indiuiduę actiones, vt intelligere velle. & tranſeuntes, vt iuſtificare, creare. Mundus nãque eſt a Deo productus, & in angelicam, cæleſtem, elementarem, mineralem, vigentem viuentem, & humanam reliquis fortaſſe preſtantiorem diſtinctus naturam, quæ mali dæmonis ſuaſu delinquens, ſuę innocentiæ ſtatum reliquit, diuinarumq; rerum amiſſã cognitione; voluptatis loco reiecta, ærumnis poſteà omnibus in hac lacrymarum valle ſubdita fuit. Donec legem a Deo per Moyſem accepit, ac tandem per verbum qui carnem ex virgine ſumpſit, euangelium quod ſalutis perpetuę adeptionem pollicetur. Remiſſio vero peccatorum diuinaque gratia, per ſacra quędam ſigna, virtute inſtituentis confertur ita vt uirtutes omnes cum ſint connexæ, ac dona Sancti Spiritus, acquiri poſſint, quo ſpiritus poſt carnis interitum in particulari iudicio ſaluus fiat, in vniuerſali vero tam animus, quam corpus ſalutem ſuſcipiant.

DE THEOSOPHIA.

Theoſophia diuina eloquia reuelata ſanctis hominibus continet: abditaque narrationũ quarundam velamine arcana complectitur. Eius partes ſunt dei admirandæ operationes, ex quibus, a mente præditis viris, ſummum bonum, a quo bona cuncta procedunt comprehendi aliquo pacto in uia poteſt. Coſmologia mũdi opificiũ deſcribit, & quam plurima beneficia humano generi a Deo tributa, ænigmatũ inuolucro, refert, ita vt eius iuſtitia, ac miſericordia percipi facile queant. Nomica mores & actus hominum, in Deum dirigit, oſtendens quidnam agendum ſit Deoque placeat, quidue vitandum eidemq; diſpliceat: Prophetia huius quoque diuinæ ſapientię pars eſt, qua ſupremi numinis ſpiritu vates correpti, prædixere futura. Hiſtoriæ etiã ſacrę a ſanctiſſimis viris cõſcriptæ atque approbatę diuinitatem redolent, ex quibus ſummi conditoris iudicia per uarios rerum exitus quodammodo a purificatis mentibus cognoſcũtur. Typica per varias figurarũ vmbras, ſimilitudines atq; parabolas, diuinam indicat mentẽ ac volũtatẽ. Euangelium verbum Dei reuera vocãdum eſt, cum per illud filius Dei nũntius noſtræ ſalutis extiterit nosq; a ſtatu ſeruitutis peccati, & a maledictione legis ad ſtatũ libertatis ſpiritus & benedictionem gratiæ vocauerit, qui nobis eternam quoque beatitudinem tribuet: quẽadmodum ab apoſtolis, & ſanctis patribus, per conciones (Concionatoria namque huc referenda eſt) & ſacroſanctas conſcriptiones eſt declaratum. Ad hanc diuini eloqnij notitiam pertinere videntur, quotquot reperiuntur tam veteris quam noui teſtamenti expoſitiones: quæ vt plurimum per literales ſeu hiſtoricos ſenſus, allegoricos, typicos, phyſicos morales, anagogicos, & myſticos aſſignari ſolent.

STV-

STVDIOSO LECTORI SALVTEM.

CONSVEVERVNT omnes, qui hac noſtra ætate ſic exigente doctorũ inſignia ſuſcipere debent concluſiones quaſdam diſputandas proponere, vt ſuæ eruditionis periculum facientes, oſtendant, ea ſe pollere doctrina, qua imperitos ſuo cõmertio ac eruditione inſtruere queant. Ego vero hęc quemadmodum & reliqua omnia contempſiſſem vnica tantum diſcendi cupiditate detentus verum vt in eorum numerum iure cõferri poſſem, quiter ceteris ſuper eminẽt harum quas breuibus enumeraui ſcientiarum, non modo propoſita verum etiam quælibet, quo viſum fuerit loco & tempo

re theoremata ad ipſa pertinentia diffe-
renda propoſui. Sed illud te animaduer-
tiſſe velim, quod nullo protſus pacto cum
artificibus opere ipſo, ſed ratione ſolum
ſi res expoſtulet, mihi certandum eſſe de-
creuerim, Philoſophi namq; (vt Plato in
Theage refert) nulli negocio ſeruire pe-
nitus volunt. Sed ea tantum ratione vten
tes contemplantur, quorum notitia ſapiē-
tes & ſeipſos & alios reddere poſſint.
Quamobrem operatione relicta, vt ſcien
tiarum ſequeter diſciplinam, veritatis no
titiam mihi ſectandā eſſe propoſui, qua
vt potiri poſſem, in florentiſſimis Patauij
Alpheæ, Ticinijq; gymnaſijs me contuli
in quibus hoc tandem mihi videor profe
ciſſe, quod nihil me ſcire, Socratis more
cognoſcam. Hunc tamen ſcientiarum
orbē (ordinem dixiſſe potius debuiſſem)
ita diſponere volui, quòd votis quorundā
amicorum ſatisfacere opus erat. Te igi
tur lector cādidum atq; ęquiſſimum opto
ſupplexque rogo, vt hilari fronte errata,
& nō aduncis naribus corrigas. Quòd ſi
aliter euenerit id tibi dictū ſit quod Mar-
tialis

tialis maledico cuidam ſua epigrammata irridenti obiecit. Cum tua non ædas car pis mea carmina Lector. Carpere ne no li noſtra vel ęde tua. Quod ideo tibi arbitratus ſum (candide lector) eſſe dicendum, quoniam ſcioli nonnulli adeo ſibi ſapientes eſſe videntur, vt gloriolam quandam ex aliorum detractione ſibi aucupari quodammodo putent fas eſſe; qui tamen cum ſint puri grammatici nec limen quidem ſcientię alicuius attingere valuerunt Deberent enim hi qui humanioribus tantum literis incubuerũt, humanitate ſe præditos eſſe oſtendere atq; omni prorſus feritate carere. Tũc enim clare perſpicerẽt quot laboribus atque vigilijs notitia diuerſarum ſcientiarum & liberalium artium ſit aſſiduo ſtudiorum vſu penitus acquirẽda. Multi enim ſunt habitus mentis ab Ariſtotele in ethicis enumerati; de quibus tamen omnibus eximius iſte philoſophus non eſt locutus. Fuit tamen præcipuus auctor iſtarum ſcientiarum, Videlicet Poeticæ, Rethoricæ, Logicæ, Philoſophiæ Ethicę, Oeconomicę, Politicæ, &

tan-

tandem Metaphyſicæ, quarum omnium facultatum ſi quis haberet exig uam ſaltem cognitionem mea quidem ſententia ludibrio non eſſet habendus præſertim græcarum literarum accedente peritia, vtrum autem aliquid inſtudijs profecerim norunt omnes qui huius catalogi ſciẽtiarum diſputationi interfuerunt Florentiæ primum cum ſtemmata doctorum ſuſcepi, anno Domini 1560. deinde patauij 1568.cum publica diſputatio habita fuit in comitijs eremitarum generalibus. Suſcipe igitur ęquo animo lector hunc libellum & Deo Opt. Maximo

Si quid boni repereris gratias age.

Vale.

Florentiæ Pridie Calendas Octobris.

M D X C I.

ORA-

ORATIO

ANTE DISPVTATIONEM pataui j habita IIII. Calendas Iunij. 1568.

CVM nequeat intellectus humanus ob difficultatem percipiẽdæ veritatis maniſeſtiſſima in natura comprehendere (optimi viri, ſcientiarum omnium mira eruditione pollẽtes) opus eſt ut ſenſim, ex ſenſibilibus vſque ad intelligibilia perducatur, donec per intellectum adeptũ puriſſimæ veritatis lucem valeat intueri. Veritatis autem exacta cognitio aliqua ex parte perſpicua Ariſtoteli, & etiam abſtruſa quodammodo viſa eſt cum dixit in ipſo ſecundi libri metaphyſicorum initio. Speculatio veritatis partim difficilis, & partim facilis eſt. Signum autem, quod neque ſatis aliquis eam aſſequi poteſt neque omnes in ipſa adipiſcenda fruſtra laborant, ſed quiſq; aliquid de natura dicit, & ſinguli quidem nihil aut parum ei addunt. ex omnibus vero collectis aliqua magnitudo fit, Cũ vero difficultas dupplex ſit, fortaſſe cauſa eius nõ rebus ſed nobis ipſis ineſt, quoniam ſicut ſe habent oculi veſpertilionum ad clariſſimum iubar ſolis, ita ſe habet intellectus animæ noſtræ adea quæ maniſeſtiſſima omnium ſunt in natura. Veritas autem ipſa per ſapientię habitum facile poteſt haberi ſed is proprie ſapiens dici poteſt ſecundum Ariſtotelis mentem 1. metaphy. cap 2. qui maximam omnium rerum habet cognitionem, atq; ſcientiam vniuerſalem at non ſingularem, & cum ſapientem philoſophus arbitratur qui difficiliora ſcitu faci-

lius

lius comprehendere poteſt ita vt per certiorem ſibi ſcientiam alios cauſas aſſignando valeat edocere. ſapientia enim eſt ſui ipſius & non aliorum gratia eligenda & perquirenda, vt pote cui omnes aliæ ſcientię quodammodo ſunt ſubiectæ, Nam illæ ſcientiæ certiores alijs, ac digniores dicuntur quæ priora ſecundum naturam & vniuerſalia illa conſiderāt quæ ſunt per abſtractionem a ſenſibus & ſenſibilibus remotiſſima, quæ ue etiam maximè ſcibilia ſunt, nihil autem eſt ipſa veritate ſcibilius, cum veritas ſit intellectus obiectum. Vt autem poſſit a mente preditis viris veritas ipſa non modo cognoſci ſed etiam rite comprehendi, quæſtionibus quibuſcunq; propoſitis ac diſputationibus dialecticorum more per contradictionem rationalem diſcuſſis dirigendus eſt intellectus ad eam inueſtigandam. quoniam niſi quis ratiocinando ſciuerit dubitare, nullo etiam pacto ambiguitatū nodos diſſoluere poterit cum dicat Ariſtoteles in his quæ de ſuper naturalibus edidit initio videlicet tertij libri metaphy. ad illam quæ quæritur ſciētiam neceſſe eſt percurrere de quibus primo eſt dubitandum. Eſt autem opere precium aliquam diuinæ ſcientiæ facultatē habere volentibus bene dubitare. Nam poſterior fa cultas ſolutio eſt eorum quæ antea dubitata fuerunt Solui autem non poteſt cum nodus ignoratur, ſed intellectus heſitatio, & ambiguitas, manifeſtum rei iudicium facit. Quatenus enim dubitat ſimile quiddam ligatis patitur, utroq; namq; modo impoſsibile eſt ad ulteriora procedere. Quare omnes primo difficultates ſpeculari par eſt quoniam qui querunt niſi primo dubitent ſimiles illis ſunt, qui ignorant quo nam ire illos opporteat. qui etiam vtrum inuenerint quod queritur an non, cognoſcere nequeunt. Finis enim his quidem non eſt manifeſtus, illis autem qui antea dubitauerint rite pateſcit. Cum itaq; hęc omnia, dixerit Ariſtoteles me vobis oſtenſurum eſſe de-

creui

creui,nunquid uidear vobis ignoraſſe quo tendam quod vt clare perſpicere valeatis (auditores eximij) ſicut omnium ſcietiarum catalogum propoſui veſtris obiectionibus impugnandum ita propono vobis etiã quemlibet diſſerendi modum quo quilibet antiquorũ vſi fuiſſe leguntur. Nam mediator Dei & hominum homo CHRISTVS IESVS, ætatis duodecimũ annum agens, in medio doctorum ſedens in templo audiẽsq; illos atque interrogans prudentiſſime diſpu tabat, cuius veſtigia proſequentes D. Stephanus atq; Paulus acerrime diſputantes confundebant ita iudæos vt non poſſent reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur. Diuus quinetiã Pater Auguſtinus, ſuo modo & ipſe aduerſus hæreticos ſui temporis diſſerebat, & vt aliquid etiam de ſapientibus huius ſæculi dicam cognitum quamplurimis ex vobis eſſe certo ſcio, Platonis, & Ariſtotelis,ac iuris conſultorum. Dialecticorum ac Rethorum varium eſſe diſceptandi modum. Poteritis itaque veſtro arbitratu, aliquem ex prefatis auctoribus veſtris argumentationibus imitari, Ego vero diuino fretus auxilio conabor obnixe veritatem tueri veſtris que obiectionibus prouiribus ſatisfacere. Suſcipite igitur læto animo atq; hilari fronte,hãc ſimplicem ſcientiarum omnium & liberalium artium enumerationem diſputaturi, vt ex oppoſitione veſtrorum argumentorum veritas ipſa facilius & claris eluceſcat.

DIXI.

Actio gratiarum breuiſſima poſt diſputationem Patauij habita.

Cum nequeam vobis meritas perſoluere grates
Ipſe Deus pro me, præmia digna ferat.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA